

32. 49

CONCLVSIONES

DIALECTICÆ.

Quæstio disputanda.

Num sola actualis abstractio vniuersalis admittendat sit?

PRÆERIT P. GEORGIUS CABRAL;
E Societate IESV.

Tuebitur Ruy Pereira de Sam Payo, integro die Sabbati. 24. Martij.



CONIMBRICÆ.

*Ex Officina Didaci Gomez Loureyro Academia
Architypographi.*

Cum facultate Inquisitorum, & Ordinarij, Anno, 1607

DE NATURA DIALECTICÆ.
CONCLUSIO PRIMA.



Dialectica, quæ inter ceteras scientias doctrina ordine primum obtinet locum, ita ad eas confert, ut sine illa, absque periculo errandi, comparari nullo modo possint: Intellectus operationes, quæ tenus ad inquirendam veritatem diriguntur, formale objectum ipsius constare certum ducimus. Et si aliquos in se speculativos habitus coerceat, practica simpliciter nuncupanda est; ratione actuum, qui ab habitu dimanant, in docentem, et utentem distribuitur. Topica, quæ utens, per omnem probabilem materiam diffunditur; in Angelis nequaquam reperiri existimamus.

EX VNIVERSALIBVS,
CONCLUSIO II.

Natura, quæ vniuersales denominantur plerumque res, et res sunt: earum vniuersalitas ab intellectu fabricatur, quæ in absolutam, et respectiuam diuiditur, quarum vltima supponit primam ut fundamentum ex aptitudine, et duplici vnitatem coalescens, formali scilicet, et præcisionis. Existentia respectus, qui ibi fundatur, in solo comparatiuo conceptu, absque prædicationis actu reperitur; hic vero per talem actum amitti non potest, quemadmodum nec aptitudo, quam in proximam et remotam diuidi impossibile esse censemus; ipsius actum in identitate cum inferioribus consistere omnino certum iudicamus.

CONCLUSIO III.

Ad cognoscendas naturas communes, possibilis intellectus concurrere solet; ad eas vero abstrahendas si sint specificæ, vel etiam genericæ positis impedimentis, tam agentis intellectus (qui à possibili realiter distinguitur) quam phantasia actiuus concursus prærequiritur, quæ omnia non ita certa iudicamus, ut putemus improbabilem sententiam, quæ tenet à neutro intellectu fieri ullam rei communis abstractionem habitualem, sed solam actuaalem. Abstractionem actuaalem, materialemque speciem naturam communem representantem, nec diuinitus in phantasia dari posse affirmamus. Vniuersale relatue sumptum, ut genus in quinque vulgares species adæquatè diuiditur. Dentur ne assumptiua vniuersalis, nempe genus, species, et differentia, problema sit.

Ex Prædicamentis.

CONCLUSIO. IIII.

DECem tantum sunt prædicamenta, plura nec diuinitus esse possunt; inter aliqua virtualis distinctio, non minori iure, quam inter reliqua partim realis, partim modalis admittenda est. Prædicamentalis substantiæ ratio in eo consistit, quod sit ens per se existens; in omnibus, tam spiritualibus, quam corporeis substantiis, quibus receptæ conditiones accommodantur, ratio prædicamentalis reperitur: An vero diuinitus inhaerere possit, quæstio est, cuius partem negantem omnino certam opinamur. Quantitatis ratio consistit in eo, quod sit ens per se extensum, permanentes, et successiuas complectitur, inter permanentes linea, superficies, et profunditas, inter successiuas motus, et tempus collocantur. Num vero Deus possit replicare omnes partes quantitatis, problema sit.

CONCLUSIO V.

Relationis essentia in ordine ad terminum consistit, quem in non mutuis absolutum, in mutuis respectiuum censemus. Receptas conditiones, quæ communiter tam ex parte termini, quam fundamenti ad relationem realem admitti solent, amplectimur. Quatuor quantitatis species comuni Philosophorum

rum receptas consensu approbamus. In prima habitus, & dispositiones, in secunda naturales potentia non subiecta sensibus, in tertia reliqua omnes, praeter formam, & figuram (quae ad quartam spectant) locum habent. Actio si immanens sit ad terminum, & obiectum ordinem dicit essentialem, per utrumque essentialiter specificatur. Si transiens, ad terminum intrinsecum transcendentaliter ordinatur ab eoque specificatur. Vbi nihil aliud est quam modus, quo res formaliter fit praesens loco: in definitionum, & transcriptionum diuiditur, utrumque partes habet, dummodo definitiuum sit in loco diuisibili.

Ex libris Peryherminias.

CONCLUSIO VI.

Receptas signorum definitiones, ac diuisiones agnoscimus. Signum si accipiatur cum omnibus, quae ei accidentaliter adueniunt duas de formali dicit relationes, ad potentiam unam, alteram ad rem significatam; in signis ex instituto utraque rationis est, in naturalibus, postis omnibus requisitis, realis. Conceptus non tantum apud omnes idem significant, sed etiam idem numero ab una potentia productus diuinitus in alia poni potest; cui, si passiuè tantum concurrat, nihil significabit, secus dicendum si aetiuè, de intellectu aliter, atque de conceptu hac in re philosophandum est. Futura contingentia, quae a causis liberi pendent a solo diuino intellectu naturaliter cognoscuntur; a creato verò non nisi eleuato, penetrari possunt. Propositiones contradictoriae de futuro contingenti, si obiectum in indifferentia causarum sumatur, solum sunt indeterminate verae, secus si aliter accipiantur.

Ex libris de priori resolutione.

CONCLUSIO VII.

Propositionis definitio, ac diuisio recte a Philosopho traditae sunt. Si de ea, quae simplex qualitas est loquamur, diuisio, qua in affirmatiuam, & negatiuam diuiditur, est generis in suas species; eius veritas in ipsius entitate consistit addita tamen concomitantia obiecti; apprehensiuam dari potest, quae iudicium non sit, sola complexa veritati falsitas opponitur. Syllogismorum figuras a Philosopho traditas, nec plures, nec pauciores quam tres admittimus, in quarum sola prima dantur modi indirectè concludentes. His exceptis, qui communiter proponi solent nullus alius dari potest, in quo vi formae concludatur. Reliqua omnia, quae in hac materia circa oppositiones, & conuersiones, tam modalium, quam absolutarum doceri solent proponimus defendenda.

Ex libris de Posteriori resolutione, & Topicis.

CONCLUSIO VIII.

Discursus communissimè, & improprie acceptus, diuiditur in discursum secundum causalitatem, & secundum successionem; hic in humano intellectu formaliter, ac per se reperitur, in Angelico virtualiter tantum, in diuino verò nullo modo; ille in quauis potentia creata dummodo cognoscitiua sit. Intuitiuam cognitionem omnes potentiae cognoscitiuae, siue sensus sint, siue intellectus elicere queunt, abstractiuam verò solus intellectus, & phantasia; ceteri verò nec de potentia Dei absoluta. Praecognita, tam formalia, quam materialia ab Aristotele tradita rectè habent. Ut intellectus elicere queat assensum conclusionis adeo necessaria est maioris, & minoris cognitio, vel saltem ipsarum recordatio, ut sine illis diuinitus dari repugnet; posse a nostro intellectu uno, vel pluribus actibus in eodem temporis instanti totam demonstrationem iudicari, aperta ratio conuincit.

CONCLUSIO IX.

Definitio primorum principiorum, ac demonstrationum diuisio rectè habent. Penetratis perfectè ab intellectu terminis primi principij, nec ex voluntatis imperio, nec de potentia Dei absoluta, potest illi dissentiri, quemadmodum neque assentiri, vel dissentiri propositioni, quae pro utraque parte aequales habet rationes. Neque Theologia, neque Mathematica propriae scientiae rationem habet. Scientia partialis obiectum, enuntiabile necessarium saltem physica necessitate, quod simul debet esse commune, siue uniuersum siue analogicum; ab ipso formaliter accepto specifica unitas, cuiusque scientiae, vel diuersitas desumitur. Habitus scientiae, & opinionis circa idem materiale obiectum naturaliter conseruari possunt in eodem intellectu, secus de actibus dicendum.

Questionem dirimit tertia Conclusio.

